


962.





Rath 962.

# ROSA SINE SPINA

*EX*

Gentilitijs Eszterhazianæ  
mūs Ceris decerpta.

*SEU AUGUSTA*

# DEI MATER.

MUNIFICIS AUSPICIJS

*CELSISSIMI S.R.I. PRINCIPIS*

PAULI ESZTERHAZI  
DE GALANTHA,

Regni Hungariæ Palatini , &c. &c.

AB ORIGINALI LABE

*Oratoriâ dictione vindicata*

A quodam Societatis JESU Religioso , SS. Theologiae  
in quartum annum Auditore.

*Dum*

Alma Archi-Episcopalis Universitas Tyrnaviensis  
Titularis Patronæ Solennitatem VI. Idus Decembris ,  
festivè exigeret , Anno 1702.

---

Tyrnavia , Typis Academicis , per Joannem Andream Hörmann.

plura: quidquid in sua vissimo gratiarum compendio encomijs immortalibus dignum deprehenderitis, id in Paulo Principe vivacissimis coloribus expressum intelligatis. Quæ licet Posterioris nostris orbis monumenta loquentur, conquerentur tamen (audi benignus, Princeps Celsissime) conquerentur tamen; quod sera saecula suspensa reliqueris: majorne in Te pie, tas in Superos, num verò fidelitas in Austriacos amplior evi- rescat, utraque siquidem in Te cum vita natæ pari fortunâ ex- crevère: Fidelitatis quidem: proprio motu Magni Leopoldi, decus Romani Imperij Principis collatum, Aureum Vellus Caroli II. Hispaniarum Monarchæ dono oblatum, & quæ non? luculento sunt documento. Pietatis verò in Superos: Cellen- sis Ara, Sabbatha MARIANA, Augustæ Dei Matris Icones Thaumaturgæ, vindicata præstantissimo calamo Immaculata Conceptio, cum orbis admiratione legentur testimonia. Ser- vent sibi aureas rosas à Pontificibus submissas, bene meriti de Vaticana Sede Principes, servent, non invidemus, dum nobis in Apostolico Regno Celsissimus Princeps florebit. Quidquid calcaverit Persius inexpectatâ metamorphosi in rosam abeat; cedimus, verna apud nos erunt omnia, quoadusque Superi Pa- latinum Principem non inviderint. Submissis è Paradiso rosis glorietur Theophilus, annuimus, modò nobis Paule vivas, perenes! è cuius Celsissimis Insignibus rosam sinè spina dum decerpo, patere pro *Immaculata Virginis Conceptione* ex Tuo do- stissimo Volumine pauca in präfens commemorari.

Commenta inter fabulæisque credidi haec tenus Rosam ex effuso, nescio quâ infelicitate, Deorum nectare enatam, ex ho- die tamen non fabulam, non delirantis cerebri commentum, sed liquidissimam veritatem juratus asseverabo. Decebat quip- pe ut nobilissimum illud germen quod exornandis Divorum Aris destinabatur, ab ipsa origine purum efflorescat. Et verò quidni decebat? jure *Sacro-Sancta Cœlitum Majestas* id exigit, exigit jure noster in Superos affectus, ut quod Divis monu- mentum offertur, non nisi defocatum, non nisi omni sorde li- berum offeratur. Procul hinc procul este profani, munera do-

mi consumite, hecatombas domi concremate, nisi pura nive  
 purius albeant. Et verò non segnes hac in superstitione popu-  
 li, quod Numinum Aris dicatum ibant, id enim verò aut pre-  
 tio nulli secundum, aut puritate Soli æmulum, aut demum  
 certum fuerat insignis victoriarum monumentum. Nostis Ephe-  
 sios, qui, qualèste? erigunt iij Dianaæ Templum, & quidem totius  
 Asiae studio ducentis & viginti annis erigunt; qui sumptus  
 hic impensi, quæ collata subsidia, quæ artificum toto orbe con-  
 currentium cura, vos ipsi cogitate, id fixum sit, tam superbæ  
 magnificentiæ Domicilium Superis consecratum. Nostis Per-  
 sarum Principes, Deus bone! quibus gentilitatis tenebris ob-  
 voluti, Solis tamen effigiem grandi in auro cælant, in quo ars  
 cum pretio decertabat. Hos illis conatus fabulosi Dei Majestas  
 inculeabat. Romanum Capitolium ò quoties inaudistis! quo-  
 ties illatas Victrices Aquilas, quoties appensas tholis felices  
 manubias, triumphantes quoties Consules in ter fortunatum  
 illum clivum legistis! & pompas omnes, omnes fortunas Ter O.  
 M. J. honoribus consecratos legistis. Adeò vel ipsa gentilitas na-  
 turâ duce apertissimè dignovit, nec munus, nec locum Dijs ar-  
 ridere, nisi is & omni nævo mundus, & arte ipsâ sit exquisitus.  
 Et nos, ò pudor! unius Numinis fideles tantâ Ecclesiæ autho-  
 ritate fulti, tantis Sanctissimorum Patrum suffragijs illustra-  
 ti, tanto Sapientissimorum Virorum consensu docti credemus  
 illum Deum, qui totam mundi molem tribus digitis appendit,  
 illum Deum qui supra omnes ccelos Thronum gloriæ sibi con-  
 struxit, illum Deum in cuius conspectu omnes Cœlitum Prin-  
 cipatus incurvantur, in terris domicilium teterimâ sorde in-  
 quinatum sibimet delegisse. Peream priusquam credam. Cre-  
 demus ita se abjecisse, ita Majestatem exuisse, ita sibimet viluisse  
 ut in id Tabernaculum homo diverteret, quod scelestissimus la-  
 tro inhabitâisset? Peream priusquam credam. Credemus, & quâ  
 fronte credemus? adeò sui fuisse immemorem, ut in illius ute-  
 rum se se reciperet, cui nigrum peccati stigma capitalis hostis  
 inussisset: Peream priusquam credam. Emergit e vestris tu-  
 mulis, redivivi emergite Vestalium Manes, liberâ voce male

credulis insultate : Adeōne abjecta Dei vestri Majestas? qui Vir-  
 ginem in Matrem deligeret, quam infernalis lavernio gravissi-  
 me infamasset, cūm nos, ab omni labe cogebamus esse quām  
 remotissimæ. Adeōne contemptibilis? qui illi se filium subjice-  
 ret quām indelebilis probri notā sciret contaminatam? cūm nos  
 nec quidem ab obsequijs suissemus. Hæc illæ Divinæ Majesta-  
 te perstrixtæ oggererent redivivæ, at quid existimatis Senatus  
 Populūsq; Academice dicturos Monarchiæ Chinensis Regulos,  
 quos apud tanta Principis veneratio, tanta Majestas, ut eum  
 in locum seponere qui eidem sessuro delectus est lege sit ve-  
 titum capitali, quid inquam existimatis dicturos, si quempiam  
 minus piè, minus magnificè hæc ipsa de re exciperent sentien-  
 tem, existimo ego vix contumelijs parsuros, quām crebrò in-  
 audiatur id : ô præclara Religionis Romanæ documenta ! cu-  
 jus Deus tam parvi penditur, ut eodem collocetur in folio  
 quod jam priùs perduellis spiritus incestavit. ô insignem Le-  
 gislatorem ! qui tam parcus sui solij defensor, ut illud hosti-  
 cederet conspurcandum. Ite Romanæ legis Doctores, Regnis  
 nostris excede, fidei vestræ documenta recusamus. Ite uni-  
 verso Chinæ Imperio valedicite, aulam, Proceres, Populum  
 extremum salutate, actum agitis, in vanum Religionem ve-  
 stram inculcatis, aut ampliora de Romano Numine proferte,  
 aut obstinati credere reluctamur : pudet me pluribus Acade-  
 mici, pudet me urgere pluribus : Gentes omnes, Nationes o-  
 mnes, Regna & Imperia omnia in eam abiēre sententiam Di-  
 vinam Majestatem Regiâ esse longè superiorem, Regiam porrò  
 ejus esse authoritatis, ut sub sole altior nequeat excogitari.  
 Novit id Sapientissimus Henricus III. Hispaniarum Princeps,  
 qui non elatione, non superbiâ, sed inditâ Reginis Majestate  
 ductus Regalem Sellam, in qua germanum Fratrem sedisse com-  
 pererat, è fenestra precipitem dari jussicerat, ratus uti nem-  
 nem Regiæ Majestati esse parem, ita neminem Regiâ Sellâ de-  
 bere considere. quām bellè in rem meam Henrice ! Itane enim  
 verò credemus etiamnum minus studium dignitatis suæ Deum  
 habuisse ? itane credemus Thronum illum Incarnato Deo desti-  
 natum

natum vel momento unico Satanae concessum? Si credimus  
 Divinam Majestatem supereminere omnibus, somniamus. Lu-  
 dibrio habemus barbarum Principem sub cuius throno, Phi-  
 lippinis in insulis serpens deprehensus, & credemus super æ-  
 terni Principis solium serpentem confeditisse? o exiguam fidem  
 nostram! o exiguam Divinæ Majestatis estimationem! paulo  
 majora canamus; paulo ampliori pede Divina metiamur, eō  
 que promptius quod ampliora suppetunt argumenta. Majesta-  
 tem quidem veneramur omnes, sed & omnes Amorem admire-  
 mur. Hic ille affectus est, qui Patrem cum Filia, Filium cum Ma-  
 tre, Sponsam cum Sponso arctissime colligavit, hic ille affectus  
 est, qui Virginem in Regale Solium elevavit, hic ille affectus est,  
 qui cervicosum inter mundum, & vindicem Dei justitiam con-  
 ditiones pepigit, fœdus sanxit, & pacis leges fœcialis promul-  
 gavit, hic ille denique affectus est, qui ipsi Deo inficit vin-  
 cula, ipsum Deum captivavit. o quam verè exclamavit is:  
 omnia vincit amor, quis vincere possit amorem? qui videlicet  
 ipsis Superis leges præscripsit. quas inter quis ibit inficiās pri-  
 mo loco habitam Virginis rationem. Concors est Sapientum  
 sensus plus Deum in una amanda Virgine Matre, quam in to-  
 ta creaturarum multitudine occupari. Date Academici, date  
 Cyrum è Paganis magalibus in regia Persarum Palatia, è stiva  
 ad sceptrum, è gausape ad purpuram, è grosso amiculo ad  
 diadema, Aspasiam amore incitante deducentem, dabo ego,  
 nec segnis dabo, Mariam ex humili ancilla in Universi Domi-  
 nam, dabo, ex paupere Virgine in Divinorum Thesaurorum  
 Dispensatricem, dabo ex privata in cœli Principem amore du-  
 ce sublimatam. Assignate Athenaïdem è Philosophi filia, Theo-  
 dosij conjugem, ex centum tantummodo aureorum hærede or-  
 entalis Gazophilacij Thesaurariam, è paternarum opum  
 possessione dejectam Græcæ Monarchiæ amore duce Guberna-  
 tricem. Assignabo ego, & veridicus assignabo Mariam è depref-  
 sa Sanctissimorum Parentum Joachim & Annæ stirpe Divinissi-  
 mi Spiritus Sponsam, assignabo è vacua penu cœlestium divi-  
 tiarum Dominam, assignabo è vetusto tugurio regnum quæ  
 cœlum

cœlum & terra ambitu suo complectuntur amore duce Regnatrixem. Plus ultra: proferte Zenobiam, amoris consilio in Romani Imperij consortem evectam, Gallieni oraculo dictam Augustam, arma ipsa cum gentium admiratione tractantem, vitorijs Persidem, vitorijs Aegyptum inundantem. Proferam ego Mariam amoris calculo in Divinitatis thalamum assumptam, proferam Augustam Dei Matrem salutatam, proferam in primo illo Beatissimæ Conceptionis momento totam inferni potentiam debellantem, proterentem, conculcantem. Amor vires addidit ut fortis vinceret, comes amor adfuit ut gloria triumpharet. Jam verò si amor magnes est, qui nexu non facile solubili amato adhæret, si ignis est, qui excoquit omnia, omnia in se convertit, potuitne Divinus Amor Virginem in Sponsam diligere, quam nativa fœditas deformabat? potuitne ardissimè adhærere Virgini, quam detestabilis macula odiosam reddebat? potuitne Partu Sacratissimo illam decorare, quam novit in aernalis proci amores abijisse? Si potuit: è numero amantium eradatur, aut omnino sui impos credatur, si potuit: authoritas Patrum, rationes Sapientum, unanimis omnium sæculorum sensus deleantur, aboleantur. Quid ad hæc vos Hyerarchia Empyreæ, quid ò ter Sancta Beatorum Spirituum agmina? sinetis mundum quieti fluctuare, in oppositam distrahi sententiam? ah meliora pollicentur, vestra in enodandis difficultatibus perspicacia, in firmando sententia soliditas, in rationibus vis & energia. Vestrarum aulam compello, libere edicite, quid Superi teneatis, habebitis, opinor habebitis quidpiam concretum, quod post sera sæcula tandem evolvite. Sponsæ Spiritus Sancti, Materne Dei, vestrâne Regina unquam fuerit contaminata? sit per me vòsq; licet, inquinata Sponsa, Matrem tamen Dei maculatam unà mecum nunquam admittetis. Nostis haud ambigam, Matrem Dei esse quid sit, Mater Dei cùm nominatur utriusq; Testamenti Arca, Divinitatis compendium, gratia primum genita nominatur. Matrem Dei cùm auditis, cœlum sine nube, gemmam sine scabie, rosam sine spina intelligitis. Matrem Dei cùm Mariam salutatis, librum sine mendo, lignum

vitæ

ꝝꝝꝝꝝ

vitæ sinè verme salutatis. Concordes ergo concludite: esto Angelorum Regina, esto Spiritus Sancti Sponsa unquam fuis- set captiva, Mater tamen Dei ab origine pura, Mater Dei ab ipso Sacratissimæ Conceptionis primordio Virgo fuit, fuit Triumphantrix. Io triumphhe Matri Dei hilares concinete! dederit proculdubio Filius hæc Matri laureas, proculdubio in tam sublimia honorum subsettia Matrem evexerit, quem novimus filiorum leges ad ungvem expressisse. Pereat hic illud crudelitatis portentum, ille humani sangvinis helluo, ille purpurratus latro Tiberius Nero, pereat, è filiorum syllabo proscriptatur, qui non exhorruit (proh scelus!) materna rimari viscera ferro. Ubi pietas? ubi gratitudo? majuscne unquam facinus ô mundi ocale, ô dierum noctiumque arbiter, majuscne scelus unquam vidisti? ô trisulca tela ecur non vindicastis? ecur terra in terribiles hiatus non abiijsti, ecur scelestissimum propodium non absorbuisti? judice me, judice proborum filiorum calculo aut montibus Enceladi erat obruendus, aut ad infames Ixionis rotas exemplo alligadus. Ne porrū incassum hæc à me tam inopinatè exaggerata existimetis, colligit e velim Senatus Populūsq; Academice, an filius ille, qui matrem raptari ad tribunal, stringi vinculis, nescio quo includi Tulliano ridens, libensque conspicit? an filius ille, qui Matrem ex Principis filia; in mancipem Diabolo; ex cœlestis gaudij Hærede, in perennis incendij ream, ex intima Consiliaria in atrocissimæ conspirationis complicem tam immaniter labi sinit? si sapitis, omnes abnuetis; naturæ monstrum, viperinum partum, belluarum sanguinem unâ voce contendetis, cui videlicet Hyrcanæ admôrunt ubera tigres, aut detestabiles lupæ infelici præsagio lac præbuere. hæc, aut his atrociora percensere horret animus, vos cogitate: an non blasphemum, an non sacrilegum foret tam impie de Incarnato Deo sentire? quæ nihilominus / pace vestrâ dicam libere id quod sentio ) universa impingemus Numini modò vel semel perduellem Deo Mariam configamus. O Mater absit à me hæc blasphemia, absit à Senatu Populōque Academicō enorme hoc perjurium! Novimus universi Auroram, sed novimus

vimus tenebrarum Triumphantricem, legimus Vellus aureum,  
 sed legimus nullam unquam palloris labe sorduisse, legimus  
 lucem Phariam, sed legimus solam arsisse. Tenebrae undique, &  
 undique pontus super genus humanum inhoruerat, unica Mai-  
 ter Dei & nativam lucem obtinuit, & unica illa persevera-  
 nit. Abscondite vestras Vestales flamas, extinctæ sunt. Absconde-  
 dite vestras Tulliolæ lampades; absumptæ sunt, sola Mater Dei  
 luctet, sola inter originalis culpæ caliginem fulgida perseve-  
 rat. Beatissimus hic Matris Dei titulus adeo est eminens, glo-  
 riosus adeo ut in hoc Divina non minus sapientia ac omnis  
 potentia termini circumscribantur. Potest illa myriades si-  
 derum unico intuitu absolvere. Potest hæc infinitos mundos  
 (quos Philosophus, nescio quis, somniabat) unico nutu in apri-  
 cum educere. Potest illa præterita omnia, futura omnia, non  
 secus ac præsentia forent peritissimè discernere. Potest hæc  
 uno digito totam hanc quanta quanta est mundi machinam  
 pilæ ad instar aut evibrare in altum, aut detrudere in profun-  
 dum. At nec potest illa majorem videre Matrem, nec potest  
 hæc Matrem creare excellentiorem. Hic enim verò potentia  
 satiscit, sapientia terminatur. Obstupuit Vetustas vastissi-  
 mam Homeri Iliadem nuci inclusam. Sæculorum encomia com-  
 mendant Parnassum, novem Musas, & Apollinem cum cytha-  
 ra Pyrrhi annulo insculpta. Posteritas tota Myrmecidis qua-  
 drigas admiratur. Admiretur omnino, omnino commendet,  
 obstupescat, plus tamen admirabor ego, obstupescam plus  
 unico Matris Dei Titulo Divinam circumscriptam Sapien-  
 tiam, Potentiam definitam. Jactet se Agrippina Romani Cæ-  
 saris Matrem, crudeli morti se se offerat, sanguinarium illud:  
 Perimat, modò imperet, lingua animoque repeatat. Ad sidera  
 tollant Hetrusci Mariam Medicæa de stirpe Principem, Regis  
 Franciæ Matrem, vulgare illud celsis illius Insignibus addant:  
 Dijs genita & genitura Deos. Austraci annales celebrent  
 etidem Mariam quatuor Cæsarum PronepTEM, Filiam, Con-  
 jugem, Matrem. Magna sunt haec non diffiteor, majora tamen  
 unicus Matris Dei titulus complectitur encomia. Erigant  
 illi

¶)(11)¶

illi illarum honoribus colosios, attollant arcus triumphales,  
noctes, dies, calamos, ingenium, vires illarum laudibus im-  
pendant, nos Academicci Matrem Dei à macula originali im-  
munem credamus, pronunciemus, juremus; & yoto uno o-  
mnes illorum applausus sepelivimus, yoto uno & dignitatem  
Matris, & debitum Filij in Matrem affectum expressimus.  
Quem dum favorem Divina bonitas Augustæ Filij Matri  
impedit, honori quidem Materno consuluit multum, plus  
tamen (ausim affirmare) gloria Filij consuluisse censendus.  
Eingamus etenim infelici omnium sorte Matrem in vincula  
abductam; singemus inermem paribus armis nequaquam  
concurrisse. Fingamus communi mortaliū naufragio absor-  
ptam; singemus periculi ignaram interisse. Fingamus uni-  
versali incendio absumptam; singemus refugium nullum, a-  
sylum nullum superfuisse. Comminiscamur vice versa Dei  
Filium de Matre quam originalis labes asperserat progenitum;  
comminiscemur Architalassum aut brevia nescisse, aut pru-  
dentem, volentem, discrimen naufragij adiisse. Sustinebimus  
omnium Dominum in deplorandam vetustorum servorum  
conditionem se dedidisse, atque ut conceptum, jam capti-  
vum, jam mancipem concedemus. Et quis tam indigna pa-  
cienter ferat? feret, feret, quisquis seqviori zelo abreptus,  
in diligenda Matre Filij gloriae Deum consuluisse denegave-  
rit. Quod si non procul à proprio stipite poma cadant, quod  
si mores Patrum usitatâ lege Proles induant & horum fere  
ectypa censeantur; cedamus Virginem, benedictam illam Ra-  
dicem, quæ Fructum illum progerminavit, cui jure potest ia-  
scribi: Fructus supereminet omnes; cedamus inquam verme  
arrosum, ecquis fructus sperandus sit, nisi verminosus? idio-  
tae & agricolæ testabuntur. Cedamus Matrem uvam acerbam  
degustasse; an non dentes Filij obstupest? Sacras Literas  
consulite. Cedamus Matrem Deo perduellem, an non Filio  
deneganda hæreditas? an non aquâ & igni vicesimum ad  
lapidem interdicendum? sapientissimas Juris-consultorum  
Pandectarum yelim examineate, quæ quam indigna diuinitate sint

sensa opinor animadvertisit, atque unà bellè perspicitis. Filiij plurimum interfuisse, Matrem infernalis cerastæ dente nunquam arrosam, nunquam in superos perduellem delegisse. Acrior ne nota inuri potest, graviörne infamia objici, quām infamia de Matre progenitum, vos, quos apud fama & vita pari passu procedunt, respondete? Quid Antonium naturæ & gratiæ dotibus ornatissimum Principem Regali Lusitanæ Solio superioribus sœculis dimovit? dimovit infamia Matris. Quis Manfredo in legitima Neapolitani Regni successione obstitit? obstitit infamia Matris. Quis Orientale Imperium iteratis vicibus concussit? concussit infamia Matris. Adeo nec vetustissima sœcula eum aliquem sustinuere Principem, quem vel exigua Matris infamia de honestâasset. Animadvertisse ipsi Barbari ab omni humanitate quām remotissimi, nec parem sceptro Majestatem, nec dignam Imperio autoritatem, nec humeros orbi ferendo sufficientes, quos intaminatus Matris honor non fulciret. Julius certè Romani Imperij Primipilus, ille tot Gentium domitor, ille tot triumphis & laureis spectabilis, pænas omnes, omnia epinicia vituperia duxit, quæ non Maternum genus à Dea deductum commendabant. Intellexit videlicet illud sapientiæ oraculum perparum ad immortalitatem nominis firmandam victorias, triumphos, applausus addere, ubi te Materna labes dignum vituperio reddiderit. Frustra Margarita nativum fulgorem jactet, ubi huic scabiosa Mater opprobrio fuerit: futura multò illustrior, si & Matrem sibi similem recenseret. Frustra Aquilæ vivacitate superbiant, ubi hanc non è nido traxerint. Frustra Laccon: arma viri, capite arma viri fortis intonet. ubi ab Heroide Matre: *aut hoc aut super hoc* non inaudièrit. Mater Lacæna illi animos cum lacte suggerat, Mater vires confirmet est necesse. Frustra Deus de Virgine nascitur, frustra ex purissimo ejus sanguine ducit originem, nisi quoque illa semper fuerit Immaculata; Fulgori illi nævus nescio quis adhærebit. Audit tam indigna Deo, & etiamnum in sinistram opinionem propendebitis Academici? Rationi ille, ille Authoritati, ille cert.

(13)

certissimis testimentijs omnem fidem abroget, qui in diversam  
à nobis abit sententiam. Quamquam meliora sperare & lima-  
ti Judicij vestri perspicacia & vester in Deiparam affectus, &  
hodiè renovatum à Proceribus nomine omnium svadet jura-  
mentum. Subscribere ergo omnes, omnes videmini piam in-  
clinari in opinionem. Laudo consilium, approbo pietatem.  
Me tamen unus adhuc dum angit scrupulus. Velis quidem  
sat felicibus hactenus usus, sed ventis secundis dum Cha-  
ribdim effugio, propè aberat quin in Scyllam impegissem.  
Hinc quippe Divinæ Majestatis urget excellentia; at inde  
Spiritus Sancti Dogmatum suspensum tenet infallibilitas. Ist-  
hinc perorat Maternitas, at illinc pretium Sanguinis clamat:  
ergo tibi tam angustum Redemptionis lytrum, tam vilis  
Christi Sanguis, tam Redemptor limitatus, qui aut non pos-  
set pretioso Sanguine omnes redimere, ô blasphemiam! aut  
nolle ejus pretium omnibus impartiri, ô impudentiam! non  
est hic Mauritius Orientis Imperator, qui cum singulos denos  
redimere obolo, ipso hoste offerente potuisset, redimere im-  
pius recusavit, non est hic: omnibus pretium superim-  
pendit, pro omnibus lytrum persolvit capitale. In Mariam  
pretij hujus partem (si licet dicere) aliquotam derivatam si-  
deneges, tu mihi certè in Mariam reliquis crudelior vide-  
bere, ipsa illa Divinissimi Sanguinis pretium sibi impensum  
agnoscit, confitetur, deprædicat. Verùm quisquis es qui  
Sacratissimi illius Pretij agis Advocatum, parce tantisper ver-  
bis, abstine calumnijs. Egóne lytrum illud inæstimabile in  
omnes impensum denegem? Absit à me hæc blasphemia. E-  
go Divinissimi illius Sanguinis guttam nullam in Mariam  
effusam affirmem? absit à me hoc sacrilegium. Adoro saluta-  
re propitiatorium, lavacrum nostræ regenerationis, fontem  
Divinæ clementiæ; & omnes à sordibus ablutos ultrò te-  
stor. Revereor inexhaustum ærarium & singulis redimendis  
sufficiens persolutum lytrum constantissimè assevero, Mariam  
quoque Divini hujus pretij intuitu juro præservatam, eoque  
lubentiūs, quo nobilissimum hoc redimendi genus Dæum ma-

gis decuisse est in comperto. Ingens enim verò beneficium est, captivos redemisse, at longè uberioris vincula præpedisse, Insigne benevoli animi argumentum, naufragio tabulam por- rexisse, at longè excellentius Euróque Notúque imposuisse habenas, cohibuisse procellas, optatam malaciam submini- strasse. Pretio est æstimandum, obligasse vulnus; cicatricem ob- duxisse, at æstimabilius longè se se i& qui supposuisse, Euriali vulnus in se transtulisse. Eginardus carnificis ferro locò Em- mæ collum subjiciens, ferale theatrum in scenam tripudij, vincula in torques, catenas in paraphernalia spectante Carolo Magno commutavit. Decuit utique ut in perpetuum benevo- lentia monimentum, captiyus, reus mortis, Cæsaris gener renunciaretur. Decuit, ut Eginardus homo novus, vulgaris fortunæ, ex plebiscito oriundus, quia tamen prior gladio se se offerens, augustæ Regum stirpi innecteretur. Beneficia non tam magnitudine quām tempore æstimamus. Vis o adoran- da Trinitas Filia hæreditatem, Matri Divitias, Sponsæ do- tem conferre? confer dum hora instat. Vis eidem fructum Passionis impendere? impende, dum tempus urget, dum res integra tuam præstolatur munificentiam. Mora beneficium imminuit, velocitas geminat. Audivit optima vota Numen præservavit Virginem, nondum lapsam communī lege exc- mit, vel unā ( tametsi reliquæ deessent ) absolutissimæ Redem- ptionis prærogativâ invitatus, quām si ad bilancē expendamus, hinc mortales omnes jam filios iræ, admissos in adoptionem, in- de Augustam Dei Matrem à fatali casu liberam comperiemus. Ex utroq; Cæsar: Bello & Pace claris Imperatoribus acclamaba- tur; ex utroq; perfectus Redemptor tum præservando Matrem, tum laplos eriendo altâ voce nos acclamemus. Apelli pictorū Antesignano eas solūm attribuimus tabulas, quas & colorum di- scrimina, & umbrarum proportio, & corporum symetria omni- bus numeris vulgant absolutissimas, satisque ad plausum, pre- cium; & æstimationem credimus, si cuiquam solenne illud: pinxit, fecit Apelles, appingatur. Existimamus etenim à



polita

(15)

polita illa manu ne circulum quidem prodire posse ; qui non  
peculiaribus emineat prærogativis. Hac nos Apelli , & quis  
vetet de Deo æquè sublimia cogitare ? Deus redemit , dum  
dicimus , ecquid aliud innuimus , ac : ille erroris nescius , il-  
le omne punctum intendens , ille accuratissimus sui honoris  
defensor redemit , ac proinde non admisit , quod tam sublime  
opus vel in minimo obfuscaret , quod tot vota expeterent ,  
quod tot Sapientum capita desiderarent . Faciem illam se-  
reni Solis æmulam pro salute nostra livore pinxit ; vanisne  
is & ventos captantibus cesserit pictoribus ? non omne tule-  
rit punctum ? non uni , tantummodo uni perfectissimam ma-  
num impenderit ? non uni pretium sui Sanguinis anticipato  
(ut ajunt ) voluerit profuisse ? ubi Redemptionis gloria ad  
oculum periclitabatur . Hinc enim quid illustrius à munifica  
Dei manu expectari poterat ? quam ita perduelles è libro vitæ  
delere , ut & una aliqua fuerit , quæ fidelitatem reliquorum su-  
stentaret , quo prævaricantes simul intelligerent suo se scelere  
benevolentiae sinu excidisse , & simul adverterent spem etiam-  
num assulgere , etiamnum patere locum gratiæ , dum una pri-  
mum gratiæ gradum nunquam amisisset . At inde quid detesta-  
bilius vereri poterant ; quam extentam ultricem Nemesis , vi-  
bratam mortis sententiam , contorta fulmina , nullamq; effugij  
patere rimam , nullam supereste quæ supplicum vices ageret , &  
libellos grata Principi præsentaret . Quod si ita est , maturate  
fugam infelices Adæ posteri , maturate fugam , actum est ,  
perijstis , omnes perijstis , non est quæ vindicis iram leniat ,  
non est quæ manus cohibeat fulminatrices . Illa ipsa quam  
Redemptoris Matrem veneramini , incurrit iram , illa ipsa ,  
quod vereatur , habet , illa ipsa eadem vobiscum in cymba  
naufragatur . Noluit hanc suo honori , noluit vestro solatio ,  
& omnium spei exemptam renunciare , noluit vel in hanc  
unicam sui brachij potentiam extendere . Et quid deterius  
vobis atque calamitosius posset obvenire ? hic præcisum salu-  
tis filum , hic præclusa janua beatæ æternitatis , hic obex

certus

certus objectus. Falsus utinam sim vates: Redemptionem se-  
culturam dubitate. Erravi, Academici, tam indigna pīssimis  
vestris animis suggestendo! Parcite, erravi! novi longē subli-  
miorem de Augusta Dei Matre opinionem cordibus vestris  
insidere, novi genuinos vos ejus Filios, atque adeo & san-  
guine paratos pīe opinioni subscrībere. Agite igitur! sīne ma-  
culā Conceptam salutate, agite! oratori favete, & quæ Ro-  
mani Antistitis pedibus substrata inaudīstis, hēc non ex meo  
hortulo sed ex doctissimo Eszterhaziano Speculo collecta  
proposui, & pro Rosa sīnēspina, seu Augusta Dei  
Matre ab originali labe vindicanda

## D I X I.

